

REVERENDISS.  
DOM. THOMAE A  
VIO, CAIETANI, CARD. D.

Xyſti, in iiij. Euangelia, ad Græco-  
rum codicum fidem emendata,  
Commentarij luculentiffi-  
mi, ad ſenſum literalem  
quàm maximè ac-  
commodati.



MAIORE QUAM HACTENUS  
*in quàm diligentia emendati: indicibusq;  
ampliſſimis illuſtrati.*



LUGDVNI,  
*Apud Gaſparem à Portonarijs.*

1556  
*Loy de Joseph de la Susse*

# THOMAE DE VIO CAIETANI CAR- DINALIS SANCTI XISTI,

*in nouum Testamentum iuxta sensum  
literalem commentarij. Et primo  
in Euangelium secundum  
Matthæum.*



Postquam diuina fauente gratia expo-  
suimus Psalterium ad literam, intendi-  
mus multorum precibus adquiescentes,  
nouum testamentum etiam ad literam  
exponere. Et inchoando à Matthæo, ti-  
tulum eius qui apud Græcos habetur  
(quem dicitur Matthæus ipse apposuis-  
se) notandum duximus: scilicet, Euange-  
lium secundum Matthæum. ¶ Euange-

lium Græcè, significat Latinè bonam nunciationem. Et verè hi-  
storia hæc dicitur nunciatio: quia nunciij officio fungitur. Nec  
Matthæus, authorem se, sed nuncium ausus est significare. In  
quo officio implicite continetur quòd est dei nuncius: dum non  
explicatur à quo iniuncta est hæc nunciatio. Et hinc authoritas  
operis magnificatur: dum non ab homine, sed à deo nuncius ve-  
nit. Et propterea non dicit euangelium Matthæi, sed secundum  
Matthæum, ne nunciatio à Matthæo procedere significetur, sed  
nunciatio à deo prout per Matthæum executioni demandata  
est, significetur. ¶ Nunciatio autem hæc bona dicitur, tanquam  
sola sit bona. Et verè sic est, tum ex parte rei nunciata: quoniam  
sola nunciat vera bona, felicitatem integram continentia. Tum  
ex parte eorum quibus nunciatur: quia sola est bona omnibus  
hominibus, cuiuscunque sexus, cōditionis, gradus. Tum ex par-  
te modi: quia sola optimo modo absq; tricus, clarè ( vt ab omni-  
bus possit intelligi) annunciat.

## IOANNIS

*Acta*, siue signa siue non signa, siue in cōspectu discipulorum siue non. *Quæ si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse.* Superfluit posse. & legendum est. *Capturum qui scribendū sunt.* pro, scribendi forent, *libros.* Non dicit nec ipsum arbitror mundum capturum illa facta si scribenda essent, sed libros qui scribendi forent: vt intelligamus quod non de ipsis factis à Iesu, sed de libris arbitratur quod mundus non caperet. Vt intelligamus quod de innumera multitudine librorum conficiendorum si per singula scriberentur facta Iesu, loquitur: & percipiamus hyperbolica figura non latenter sed manifeste ipsum vti, non in persona ecclesiæ sed in persona propria. ¶ Apparet enim manifesta hyperbole, dicendo quod si scriberentur mundus non caperet. constat nanque quod si scribuntur in mundo scribuntur. Sed sicut describentes maximam velocitatem dicimus velociorem aquilis aut vento, & describētes maximam albedinem dicimus albiorem niue, & similia: ita Ioannes significat maximā multitudinem factorum à Iesu ex hoc quod si figillatim scriberentur, mundus non caperet libros continentes tot facta. Et sicut non mentitur nec falsum dicit dicens velociorem aquilis aut vento, candidiorem niue & huiusmodi (quia intelliguntur hæc hyperbolice dicta: & non ad fallendum, sed ad significandū magnam velocitatem, vel magnum candorem, &c.) ita nihil mendacij nihil falsi hic arbitratur Ioannes: quoniam hyperbolice se manifestat loqui ad significandum innumerabilem multitudinem factorum Iesu. Cui est honor & gloria in secula seculorū. Amen. Caietæ die 16. Maij. 1528.

Commentariorum Thomæ de Vio Caietani Cardinalis  
 sancti Xisti in euangelium secundum Ioannem Finis.

1557

